

tyrum intercessione obtinuissent relaxationem pœnæ canonicæ, ut legere est in Cypr. ep. Tertio, quia Tertull. jam montanista, lib. de Pudic. c. ult., testatur hanc fuisse universalem Ecclesiæ persuasionem, ut meritis ac satisfactionibus martyrum peccata remitterentur, sive pœnæ peccatis debitæ. Idem præterea constat ex ep. cleri Rom. ad Cypr., et ex S. Ambr. lib. de Pœnit. c. 6 et ult., ubi ait. « Tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum, et fletu, et oratione, et dolore est, et quasi fermento ejus se totam conspergat, ut per universos ea quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente, viritum misericordiæ aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur. » Ex eodem de pœnitentia lib. 1, cap. 3, habemus, fieri consuevisse remissionem pœnæ canonicæ in primitiva Ecclesia ob intercessionem et merita sanctorum; et ex Tertulliano lib. de Pœnit., c. 9, aliisque.

V. Indulgentiæ remittunt pœnam temporalem, sive injunctam sive, injungendam. Audiatur S. Thomas in Supplem. q. 23, art. 1. « Quidam dicunt quod non valent ad absolvendum a reatu pœnæ quam quis in purgatorio secundum Dei judicium meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione qua sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam obligatur etiam ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo, quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est, *ut quod in terra remitteret, in celo remitteretur*: unde remissio quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo a pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent, et quantum ad forum Ecclesiæ, et quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, et confessionem, et absolutionem, sive sit injuncta, sive non. » Ita theologi omnes, et quidem jure meritoque. Nam potestas Ecclesiæ collata Matthæi xvi absoluta est et nulla limitatione circumscripta; neque in traditione fundamentum est ullum quo restringere cogamur hanc potestatem ad pœnas in sacramento injunctas, vel per canones constitutas. Et quamvis aliquando hæc reperiantur concessæ formula indulgentiæ *de pœnis injunctis*, communiter tamen absque hac formula concessæ reperiantur a Bonif. VIII in extr. *Antiquorum*, a Clem. VI in extr. *Unigenitus*, a Sixto IV in const. *Quemadmodum*, et ab aliis Summis PP. qui plenissimas indulgentias concedunt, hoc est, quantum se extendit eorum potestas. In hypothesis quod concedantur indulgentiæ sub hac formula de injunctis, card. Bellarm. c. 7, lib. II de Indulgent., negat. illas extendi ad pœnas injungendas; sed Suarez et alii bene multi affirmant.

VI. De indulgentiarum origine et variatione hæc Mabillonius scribit. Indulgentiarum triplex quasi gradus considerari potest:

Unus tempore apostolorum, qualis fuit relaxatio ab excommunicatione incestuoso illi Corinthio inflictæ per apostolum Paulum; secundus tempore martyrum, cum ad eorum preces publica quibusdam pœnitentia remittebatur; tertius, sub defectu pœnitentiæ publicæ, quæ sæculo IX non parum minui cœpit. Ab eo tempore datæ sunt ad remissionem pœnæ peccatis impositæ aut debitæ quædam indulgentiæ, aliæ aliis ampliores. Vigebat tamen per ea tempora pœnitentiæ publicæ usus, sed ea redimi vel missis, aliisque suffragiis, vel elemosynis, vel sacris peregrinationibus, aut piis operibus poterat. Patribus concilii Cloverhoviensis anno 747 visa est nova pœnitentiæ per elemosynas redemptio, *nova adinventio, periculosa consuetudo*; sed paulatim redemptio prævaluit. Postea vero compendiosior visa est indulgentiarum via. Istæ mortis primum concessæ videntur. Nam Joannes Papa VIII indulgentiam his qui in bello contra paganos anno 878 occubuerunt vel in futurum occumberent concessit, eandemque gratiam petiere Bajoariæ episcopi pro Arnulpho imperatore mortuo, a Joanne IX, cujus animam ipsius potestate absolvi postularunt. At vivis Salomon Constantiensis episcopus in Cœna Domini indulgentiam dedisse perhibetur apud Ekkehardum, id est absolutionem quæ in Cœna Domini quotannis ab episcopo impertiri solebat. Sed alia est indulgentiarum notio, cum peccatorum pœna, vel partim, vel omnino remittitur, unde plenariæ indulgentiæ, aut definiti temporis dicuntur. Si fides scholasticis habenda foret, concessæ hæc ratione indulgentiæ fuere a Sergio II, qui indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum omnibus visitantibus ecclesiam SS. Silvestri et Martini in Montibus, concessisse traditur; a Gregorio Magno, quem septem annos de indulgentia concessisse perhibent in stationibus Romæ ab ipso constitutis, imo et a Silvestro. Sed hi, etsi maximi theologi habeantur, tamen infelices passim sese ostendant historicos, et fidem hac in re non merentur, ut optime ostendunt Mabillonius in Præf. ad Sæculum II Benedictinum; Papebrochius in Conatu Chronologico historico, dissert. 16, aliique eruditissimi viri, qui luculenter ostendunt indulgentiarum usum qua ratione hodie in Ecclesia conceduntur, undecimo sæculo antiquiorem non esse.

VII. Certo constat Alexand. II, an. 1070, peracta Lucensis ecclesiæ dedicatione, statuisse, *ut octo dierum spatium dedicationis memoria perageretur, concessa indulgentia pœnitentiæ*; ut habetur in codice ms. ejusdem ecclesiæ in Vaticana bibliotheca asservato. Sed deest ibi specificatio ipsius indulgentiæ, quæ tamen habetur in quadam Honorii II bulla; in qua iis qui intra novem dies ad celebritatem convenissent consecrationis ecclesiæ Casæmarii, *de Illius pietate confisus est peccatorum remissio, de injunctis pœnitentiis annus unus misericorditer relaxatur*. « Hæc erat indulgentia maxima, inquit

Papebrochius. Postea cœperunt alii ad annorum numerum ampliore addere etiam quadragenas. » Circa hæc eadem tempora concedi cœperunt indulgentiæ basilicæ Vaticanæ, quas recenset Nicolaus IV in bulla relata ab Onuphrio Panvinio in libello de Septem Ecclesiis Urbis, per hæc verba: « Sicut ad nos, tam ex scriptis antiquis in basilica ipsa repertis quam ex seniorum canonicorum ejusdem Basilicæ relatione pervenit, Prædecessores nostri, omnibus vere pœnitentibus et confessis, ad eandem ecclesiam venientibus reverenter, videlicet in Nativitate Domini, septem annorum et septem quadragenarum, et ab octava Pentecostes hinc ad festum B. Petri... die quolibet, trium annorum et trium quadragenarum, ... a principio Quadragesimæ usque ad festum Paschæ quolibet die, necnon in festivitibus B. Mariæ, unius anni et quadragesima dierum remissiones suorum peccatorum concesserunt. » Has Nicolaus Pontifex ratas habuit; et deinceps confirmare atque auxerunt Bonifacius VIII, Clemens VI, Urbanus VI, Nicolaus V, et alii Summi Pontifices, ut inquit idem Panvinus. Circa finem undecimi sæculi occurrunt quoque indulgentiæ concessæ proficiscentibus ad bellum sacrum, aut certe ad illud contribuentibus. En canon 2 concilii Claromontani, Urbani II auctoritate celebrati: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur*. Vide catalogum harum indulgentiarum apud Amort op. cit. part. II, pag. 36 et sequent. Habes itaque indulgentiarum originem, varietatem, atque initium illarum, quæ nunc ampliores etiam conceduntur.

VIII. Inquirendum modo est, *An disciplina Ecclesiæ circa usum indulgentiarum subierit variationem quoad substantiam*. Responsum transcribendam duxi ex P. Eusebio Amort, qui ait Ecclesiam in collatione indulgentiarum retinuisse semper eundem spiritum et disciplinam quoad usum, invariata quoad substantiam mansisse. Idque comprobatur ex comparatione veterum recentiumque indulgentiarum, quo recensemus ordine.

1° Antiquitus relaxatio pœnæ fiebat quando pœnitentes admittebantur ad sacram communionem. Nunc etiam ordinaria indulgentia connectitur cum sacra communionem, quia ordinarie ad lucranda indulgentiam requiritur communicatio.

2° Antiquitus, in articulo mortis fere omnes habebant plenariam indulgentiam, quia omnes admittebantur ad sacram communionem, sicque *ad Dominum dimittebantur*, licet pro foro externo, dein, si reconvalescebant, debuerint supplere opera pœnitentiæ. Nunc etiam omnes fideles in articulo mortis, si voluerint uti gratis apostolicis per aggregationem in confraternitates, habent similiter plenariam indulgentiam.

3° Antiquitus indulgentiæ non poterant conferri nisi ab episcopis; nunquam autem

a presbyteris, nisi haberent concessionem ab episcopo. Nunc etiam plenariæ non applicantur nisi ex commissione Summi Episcopi: v. g. dum indulgentiam in articulo mortis, vel alias per specialem formulam pœnitenti applicant, qui mos jam a multis sæculis invaluit.

4° Antiquitus omnibus ad omne opus bonum apertus stabat thesaurus Ecclesiæ ex communione justorum omnium non restricta a pastoribus Ecclesiæ, et specialiter impensa per preces ac vota antistitum. Nunc etiam ad omne opus bonum in confraternitatibus apertus stat thesaurus Ecclesiæ per applicationem specialem alicujus indulgentiæ.

5° Antiquitus offerebantur ab Ecclesia pro pœnitentibus ac aliis specialiter participantibus de thesauro Ecclesiæ justorum intercessionem et opera. Idem nunc per prælatos fit, qui concedunt indulgentias, ut Deo offerant de thesauro Ecclesiæ.

6° Antiquitus episcopi habebant potestatem relaxandi partem pœnitentiæ, non totam. Nunc etiam jam a multis sæculis non habent potestatem indulgentiam concedendi excedentem 40 vel 100 dies.

7° Antiquitus requirebantur opera ardua ad obtinendam indulgentiam. Nunc etiam pontifices, ut in decursu probabitur, jam sæpius declararunt se nolle applicare plenum fructum indulgentiarum nisi iis qui se per opera pœnitentiæ congrue disposuerint ac dignos reddiderint.

8° Antiquitus modum indulgentiarum ac relaxationum ex tacito consensu summi Pastoris regulabat frequenter communis sensus et consuetudo Ecclesiæ; et quando oriebatur dubium, aut fiebat excessus in rigore, aut laxitate, apponebant limites summi Antistites Ecclesiæ. Sic enim Zephrinus indulsit primus mœchis veniam, ut testatur Tertullianus; et Nicolaus primus præscripsit modum relaxationum pœnitentium episcopis Germaniæ, ut patet ex ejus epistola, quam dum lustrarem bibliothecas Bavariæ reperi in manuscripto codice sæculi duodecimi, in canonica ad S. Nicolaum Passavii, estque hactenus inedita.

9° Antiquitus ex toto orbe concurrebatur ad sepulcrum BB. apostolorum Petri et Pauli, ut ostendit P. Gretserus l. II de Peregrinationibus cap. 9, 10, 11, 12, 13, 14 et 15. Omnes gentes eo confluebant ut obtinerent patrocinium principis apostolorum, ut testantur Chrysostomus, Augustinus, Fortunatus, Gregorius M., etc. Confluebant præcipue ut obtinerent relaxationes pœnæ canonicæ, ut testatur concilium Cabilonense II, anno 815, et postmodum Selegustadiense. Nunc autem, dum plerisque, ob alium statum politicum regnorum, et divisionem linguarum post Romanæ linguæ interitum, non amplius datur tam facilis accessus Romæ, summus Pastor præstat absentibus quod præsentibus requirere non possunt beneficium, et ut in suis bullis communiter exprimit, *confisus de omnipotentis Dei misericordia, et BB. apostolorum Petri et Pauli orationibus,*

cuius pro modo suæ congruæ dispositionis relaxat facinora.

10<sup>o</sup> Antiquitus relaxabantur, v. g., septem anni, vel integra quadragesima, et sensus erat quod peccatum cui talis pœnitentia debebat injungi foret ab omni pœna liberum. Nunc similiter relaxantur, v. g., septem anni, vel 40 dies, seu, quod idem est, Carema, aut Quadragesima. Sensus autem est, ut mihi videtur, quod peccatum, cui talis pœnitentia secundum canones deberet injungi, sit ab omni pœna liberum; vel, ut aliis videtur, quod tantumdem pœnæ in purgatorio luendæ quantum talis pœnitentiæ neglectui responderet, relaxetur. In quo iterum nulla est differentia, cum antiquitus indulgentiæ pariter valuerint coram Deo.

*Objicies primo.* Manifestum est quod per copiosas indulgentias nervus disciplinæ ecclesiasticæ et rigor satisfactionum pro peccatis sit penitus enervatus. Antiquitus enim non conferebantur, nisi post laboriosam et longam pœnitentiam; nunc dantur pro levissimis operibus, et creberrime. Ergo per has indulgentias introducta est enormis mutatio in Ecclesia.

Respondeo, antiquitus pro iis hominibus qui pro peccatis occultis non voluerunt ultro subire publicam pœnitentiam, ad quod non obligabantur, ut P. Francolinus l. II de Pœnit. ostendit, tot imo plures fuisse indulgentias plenarias quam nunc; quia omnes isti pœnitentes statim absolvebantur, et, si volebant, statim admittebantur ad communionem; nec illis imponebatur ille antiquus ordo longus pœnitendi, nisi consilii causa, quia alias non esset promeritori largitatem indulgentiæ ac plenitudinem remissionis, quod ipsum per modum dispositionis etiam in modernis indulgentiis requiritur, prout in hoc opere probabitur. Quod vero attinet rigorem illum pœnitentiarum veterum pro peccatis publicis, dico, neque in hoc mutatum esse spiritum Ecclesiæ; quia Ecclesia illum rigorem non assumpsit, ut convenientem statui Ecclesiæ perfecto, sed ut necessarium statui imperfecto, adeoque illum usurpaverit ut abjiciendum, non ut retinendum. Hanc meam assertionem probo ex doctrina D. Cypriani, omnium Patrum rigorosissimi, qui dum, reddita pace Ecclesiæ, rigorem suum plurimum temperavit ut de hac sua moderatione tanquam de inconstantia fuit reprehensus, hanc reddidit rationem, quod rigor fuit Ecclesiæ utilior tempore persecutionum ad conservandam honestatem Ecclesiæ coram gentibus ubique commixtis; sed benignitas tempore pacis sit utilior in plures. Id ipsum contingere in moderna benignitate postmodum ostendam. Interim D. Cyprianum audiamus, ep. 52 sic habet: « Quoniam de meo actu motus videris, mea apud te persona et causa purganda est, ne me aliquis existimet a proposito meo leviter recessisse; et cum evangelicum rigorem primo inter initia defenderim, postea videatur animum meum a disciplina et censura priori flexisse, ut his qui libellis conscientiam suam maculaverint, et nefanda

sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverim; quod utrumque non sine librata diu et ponderata ratione a me factum est. Nam, cum prælium gloriosi certaminis in persecutione ferveret, toto hortatu et pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, et lapsorum mentes animandæ, ut pœnitentiæ viam non solum sequerentur, sed et ad martyrii gloriam provocarentur. — Sed, persecutione sopita, temperamentum salubri moderatione liberavimus, ut nec in totum spes, communicationis lapsis denegaretur, nec plus desperatione deficerent, et eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent, nec tamen censura evangelica solverentur. Ac si minus sufficiens episcoporum in Africa (*id ipsum nobiscum statuentium*) numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium (*Papam*), qui et ipse cum plurimis copiscopis, habito concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit. De quo tibi necesse nunc fuit scribere, ut scias me nihil leviter egisse, sed nemini ex lapsis communicasse, quando erat (*occasio*) ut lapsus coronam acciperet; postea tamen, sicut medendi vulneris utilitas exigebat, necessitati temporum succubuisse et saluti multorum providendum putasse. » Hucusque D. Cyprianus, qui proin ostendit, in moderando rigore regulam esse necessitatem temporum, utilitatem multitudinis, et Romani Pontificis declarationem.

Videamus ergo nunc quomodo Romani Pontifices antiquitus utendo rigore canonum, et nunc adhibendo eam moderationem, ut pœnitentiæ severiori modum relinquunt communiter cujusvis arbitrio, semper respexerint ad necessitatem temporum et utilitatem plurimorum.

1. Antiquitus Christiani vivebant permixti cum gentilibus, qui majorem concipiebant reverentiam erga Ecclesiam si viderent vitia tam severe elui. Itaque ad conciliandam hanc venerationem et conversionem gentilium, congruum erat uti tali remedio; et utilitas paucorum fidelium debebat cedere publicæ honestati Ecclesiæ.

2. Natura Christianorum plurimorum recenter ex gentilismo conversorum in populi magna parte erat adhuc nimis barbara et vitiiis dedita, ut posset mille exemplis per decem prima sæcula demonstrari, talis autem natura timore, ut servilis, durius tractari debuit, quia, ut Sapiens ait: *Disciplina servo.*

3. Illis temporibus plurima scelera non coercebantur legibus civilibus, maxime fornicatio, mollities, sodomia, perjuria extrajudicialia, blasphemia, et universim omnes transgressiones legum Ecclesiæ. Cum ergo Ecclesia tunc non habuerit aliud medium expurgandi Ecclesiam ab his facibus nisi forum pœnitentiale, debuit in isto adhibere rigorem canonum. Principes Christiani cum viderint Ecclesiam satis punire talia scelera, judicia hæc Ecclesiæ reliquerunt usque ad sæculum undecimum, nec multum curarunt

in foro externo illa crimina punire. Nunc autem, cum omnia illa crimina severe puniantur per leges principum, poterat Ecclesia agere mitius, quia non amplius erat periculum ne publice talia scelera invalescerent.

4. Antiquitus non dabantur subsidia promovendi sanctitatem in populo, prout nunc dantur; multiplicabantur scelera, et non erat efficax remedium resistendi torrenti, ne prorsus inundaret omnia, nisi timor canonum pœnitentiarum; nunc autem multiplicantur clerici, ecclesiæ, parochiæ, catecheses, conciones, scholæ, libri pii, exempla sanctorum ac piorum, leges juris ecclesiastici, religiosi ordines, monasteria, quæ omnia multum facis ex hoc mundo exhauriunt, juventutem Christianam partim bonis moribus imbuendo, partim a mundo extrahendo, partim in exemplum suorum propinquorum constituendo. Itaque rigore tanto amplius opus non est eo tempore, quo plus inferret damni quam lucri.

5. Antiquitus non erant introductæ in populum piæ consuetudines et devotiones publicæ, quæ, dum fideles perpetuo occupant ac distrahunt, potenter a malis occupationibus avocant. Tales sunt festivitates frequentes, confessiones, comprecationes, peregrinationes, confraternitates, etc. Itaque, sicut virga e domo ejicitur, liberis jam adultis et ad sanam rationem compositis, ita antiqua disciplina non est retinenda ab Ecclesia in optimo statu constituta; neque per hoc mutatur spiritus Ecclesiæ, quia, sicut anima una remanet in corpore humano pro diversitate ætatis ac senii valde diverso, ita in Ecclesia datur quædam una ac immortalis anima legum omnium, intentio videlicet legislatoris semper respicientis ad bonum commune, ad necessitatem temporum, et ad utilitatem plurimorum.

*Objicies 1.* Romani Pontifices nunc habent eum modum tenendi in suis indulgentiis, quasi possent satisfactiones sanctorum dispensare cui vellent, quod antiquitus non præsumperunt; sed contenti fuerunt solis satisfactionibus Christi.

2. Idem nunc potestatem suam etiam extendunt ad purgatorium.

3. Ii nunc soli pro toto mundo dispensant indulgentias, quod antiquitus non legitur.

*Respondeo ad 1.* satisfactiones sanctorum indulgentiis esse accidentales; potuerunt ergo omitti vel addi in applicatione indulgentiarum, quamvis eas ob ipsam convenientiam intrinsecam, etiam antiquitus ordinariè adhibitas fuisse, jam supra ostensum sit. Cum ergo versemur in re accidentali, mutatio quoad substantiam fieri non potuit. Quod vero hæc satisfactiones sanctorum indulgentiis sint accidentales, testatur Bellarminus lib. I de Indulg., cap. 4, his verbis: « Non est quidem opus ut adjungantur passionibus sanctorum passionibus Christi, quasi hæc per se non sufficiant; sed adjunguntur tamen, quia æquum est ut illæ passionibus non sint inanes. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi

cum passionibus sanctorum, id est, an applicetur una pars satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus sanctorum: an vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, et superaddantur ad cumulum satisfactionis passionibus sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. » Ita Bellarminus.

*Ad 2. dico* indulgentias pro defunctis esse solemnes deprecationes pro defunctis, in quibus Summus Pontifex, nomine totius Ecclesiæ, pro defunctis Deo offert sanctorum et justorum opera, prout ostenditur in decursu operis. Cum ergo semper Ecclesia oraverit pro defunctis, ut ostendunt polemici, et Baronius ad annum 34, a num. 314, nihil in hoc innovarunt per indulgentias Pontifices; sed per eas solum invitant fideles ad secum comprecandum pro defunctis, et ut ad hoc facilius excitentur promittit Papa se interpositurum simul pro tali anima deprecationem Ecclesiæ, et oblaturam Deo pro illa anima sanctorum opera.

*Ad 3 respondeo* etiam antiquitus relaxationes tantum fuisse factas ex tacito vel expresso consensu Summi Pontificis. Quod relaxatio pro mœchis habeat originem a Zephirino Papa testatur Tertullianus; quod lapsis in idololatriam facta sit communitio et relaxatio, factum est ex consensu expresso Cornelii Papæ, ut testatur D. Cyprianus epist. 52, supra relata. Et modum relaxationum etiam pro homicidis præscripsit episcopis Germaniæ Nicolaus primus, ut testatur ejus epistola hæctenus inedita. Denique quod antiquitus factum est ex generali consuetudine Ecclesiæ, haud dubie vim suam habet ex consensu tacito legislatoris. Quod si ergo in similibus taciti et expressi eadem est vis, sequitur etiam antiquitus omnes indulgentias per consensum tacitum summi Pastoris Ecclesiæ substituisse. Rectius autem et clarius ea dependentia postmodum exprimi cepit per modernam indulgentiarum formam, quia solius universalis Episcopi potestas se extendit ad omnes fideles, vi cujus tacite ipsi omnes voluntates, intentiones, et dispositiones subjiciuntur. Quod si pater potest disponere de voluntate uxoris et liberorum quoad vota, princeps de voluntate subditorum quoad contractus et testamenta, superior communitatis quoad communicationem et participationem bonorum operum de voluntate subditorum, cur non conveniens fuerit ut etiam voluntates fidelium ac intentiones tacite subordinentur voluntati Papæ, ejusque dispositioni relinquunt opera satisfactoria ad expiationem propriorum criminum ob largitatem Numinis redundantia? Si autem hæc subordinatio voluntatum ad voluntatem Christi in terris Vicarii est Ecclesiæ congenita ac essentialis ob ipsum ordinem hierarchicum, nihil novationis contingere potuit, dum Princeps fidelium eam voluntatem a suorum dependentium actuali dispositione circa satisfactiones justorum superfluas, et ad Deum oblatione piorum operum manifestius exposuit.

IX. Vera indulgentiarum idea juxta sen-

sum et spiritum Ecclesie hæc est. Cum nos peccatores impares simus ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro debitis per peccata contractis, partem vero istius debiti per opera nostra laboriosa solvere valeamus, clementissima mater Ecclesia thesaurum nobis aperit meritorum Christi, B. Virginis, et sanctorum; ac per hujus thesauri applicationem id supplet quod ob infirmitatem et imbecillitatem reddere non possumus. Itaque indulgentiæ in infirmitatis nostræ supplementum conceduntur. Quamobrem nos non liberant ab ea solvendi debiti parte quam solvere valeamus, sed suppleant id quod, attenta imbecillitate nostra, reddere non valemus. Duo ergo hic attente ponderanda sunt, ut gravissimi doctores monent: primum indulgentias valde salutare et utiles esse, quod solvunt eam debiti partem quam per temporariam penam in hac vita vix possumus, in altera vero gravissimis purgatorii penis solvere deberemus; deinde indulgentias hac ratione concessas et usurpatas non enervare Ecclesie disciplinam, nec fovere penitentium ignaviam; sed imbecillitatem nostram erigere atque juvare, et spiritum inflammare nostrum ut alacrius et celerius id quod possumus reddamus, suppleto id quod pro infirmitate reddere non valemus. Audiatur cardinalis Cajetanus, qui adversus Lutherum Ecclesie de indulgentia disciplinam exposuit et propugnavit, ac regulas fidelibus exhibuit. In tract. de Indulgentiis, q. 2 hæc habet: « Sunt (penitentes) *duplicis ordinis*. Quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro peccatis suis; quidam negligentes satisfacere per se ipsos. Primi condignas penitentias vel petunt a confessoribus sibi imponi, parati eas implere; vel sponte illas assumunt, dum continuo student per sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando, etc. Secundi vero levissimam penitentiam, aut rogant, aut læti suscipiunt, et cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo; et hi sunt quibus indulgentiæ non prosunt iudicio meo. Nullus enim indignus divina satisfactione pro pena sibi debita, consequitur veraciter fructum indulgentiæ. Sed quilibet negligens satisfacere per seipsum est indignus aliena satisfactione pro pena propriis peccatis debita. Ergo nullus negligens satisfacere per se ipsum acquirit fructum indulgentiæ. Præterea in qualibet bene ordinata republica, quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere (*quod possent*) indigni censerentur adiutorio thesauri. Ex eo enim quod possunt de suo solvere, et non curant, indignos se reddunt tali sublevamine; et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia; quoniam alii, horum exemplo, ad similem negligentiam provocarentur. Legis autem est facere non negligentes, sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes pro dignis

habeat; hoc enim esset enervare satisfactiones penitentiales. Non prosunt ergo indulgentiæ negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt, etc. Parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere, sed illi soli quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impedita. » Consule etiam Benigni Bossuet instruct. pro indulg. comparand. Doctiss. episcopus animadvertens in Conc. Trident. sess. 14, c. 2, definiri plenam illam et integram peccatorum omnium remissionem quam per baptismum consequimur per sacramentum penitentiae obtineri non posse *sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia*, ita concedit sibi plebem alloquitur: « *Audite, filii, Ecclesie matris vestrae verba*. Illa vobis proponit magnos fletus magnosque labores, baptismum laboriosum; illa vos edocet divinam justitiam id exigere. Hic Ecclesie rigor a suo spiritu oritur, qui nunquam extinguetur. Nec illa unquam cessabit bellum indicere laxitati. Quid refert cum concilio mollitiem detestari hæreticorum, qui sanctos satisfactionis rigores rejecerunt, si nos in similem languorem incidamus, et id reipsa contemnamus quod verbis confitemur? » Et postquam ostendit Concilium sess. cit., c. 8, docere divinam quoque clementiam decere, ut peccata post baptismum commissa sine pena satisfactoria non remittantur, ac penam hujusmodi a novis patrands peccatis nos coercere, similesque Christo nos efficere, ideoque confessarios convenientes penitentias imponere oportere, satis apte concludit Ecclesiam aperire thesaurum sibi conceditum, sive indulgentias concedere, ut suppleat inopiam nostram et integrum penarum debitum, hac præsertim ætate nostra, in qua vix unquam penitentiae criminum pravitate æquales, aut a confessariis imponuntur, aut sponte suscipiuntur a nobis, sive ob vitæ brevitatem, sive ob spiritus languorem, diminutumque charitatis fervorem. Et sane, quis in animum inducat suum ecclesiam, dum concedit sibi thesauri divitias nobis effundit, velle aut socordiae nostræ inservire, aut peccandi liberius ansam præbere, liberando homines a penis satisfactoriis quibus a peccatis coercentur, quibus passionum impetum cohibent, quibusque in charitate illa exercentur, per quam Deo satisfacere eique placere studeant?

X. Quæ cum ita se habeant, quis æquo animo ferat Lucii Ferrarii opiniones, quas recenset et probat, art. 3, num. 4, et sequentibus? Quis non videat injuriam seniculum conqueri de nimio Romanorum censorum rigore, qui probatas a Venetis censoribus opiniones laxitatis notant? Scribit enim sub num. 4: *Indulgentia plenaria liberat ab obligatione implendi quamlibet penitentiam, etiam medicinale, sibi impositam a confessario*; ac sequentibus num. 4, id argumentis ostendere conatur. In num. vero 5 ex glossa asserit Bonifacium VIII *Noluisse confessarios imponere aliquam penitentiam iis*

lucrantur jubilæum; et num. 8, decere dem, at non debere confessarium penitentiam imponere; ac dictis similia habet 10. Quæ enim superiori in numero exposita sunt, non solum medicinales, sed etiam satisfactorias penitentias injungendas esse probant iis quoque quibus indulgentiæ conceduntur, licet satisfactoria mitior esse possit, dum eam suppleant opera injuncta; sed hæc quoque in re cauti sacerdotes esse debent ne contra Ecclesie mentem agant. Videri poterit Euseb. Amort op. cit., ubi ex Patribus, conciliis, Summis Pontif., ac gravissimis theologis, etiam satisfactoriæ penitentiae obligationem ostendit. At Lucius noster a medicinali quoque penitentia homines absolvit, quæ imponenda est cum grave periculum peculiare relapsus jure naturæ auferendum est. Sed ad rem veniamus. Penitens est qui detestatur peccata, qui a peccato abstinere proponit, qui tactus vero cordis dolore, a peccato et creaturis aversus, et conversus ad Deum esse incipit. Fac vero medicinale penam necessariam eidem esse, ut in proposito stet, ut in conversione perseveret, quis dicat, hunc indulgentiæ virtute, a medicinali hac subeunda penitentia liberari? Indulgentia vere penitentibus conceditur; at vere penitens non est qui implere nolit penitentiam, qua propositum firmetur, quaque foveatur, perficiaturque conversio, ut consideranti liquet. Rursus quodecunque peccatum lethale malignas in anima qualitates relinquit etiam post sacramentalem absolutionem. Ergo peccatores omnes medicinali indigent penitentia, qua ab hujusmodi morbo curentur pro criminum et status diversitate. Nec iis favet antiquorum auctoritas, qui injungendam penitentiam negant dum sit indulgentia concessa; nam illi de penitentia loquuntur quam confessarii ex præscripto canonum penentialium injungere debebant, cujus loco opera injuncta adimplenda erant. Sed sufficere in hujus rei comprobationem ea in medium afferre quæ cardinalis Denhoff, episcopus Cæsenatensis, scripsit.

XI. Is itaque, in instructione ad populum, cavete vobis, inquit, ab abusu quem nonnulli sacerdotes invehant, qui tempore jubilæi aut occasione plenariæ indulgentiæ, gravissimorum criminum reis levissimas satisfactiones decernunt, hoc nimirum obtutu quod ejusmodi indulgentiæ, si opera in concessionibus Summorum Pontificum assignata accurate persolvantur, simul cum culpa penam etiam penitus aboleant. Hæc enim agendi ratio adversatur menti sanctæ Ecclesie; quæ quidem cupit filiis suis opem ferre ut penam debitam exsolvant, cui solvendo impares sunt, nonnulli quidem virium inopia, alii vero vitæ termino prohibiti: qua re complures non adimplent penitentiam delictis suis convenientem; sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos penitentiae fructus facere jubet. Neque desides reddere aut tardiores in operibus satisfactionis, quæ tantopere in sacris Scripturis et a sanctis Patribus

commendata sunt seculo exercendis. Ideo concilium Trid. tradit nusquam esse in Ecclesia semitam tutiorem qua liceat evadere supplicia quæ Deus peccantibus minatur quam ut crebro quis in hujusmodi operibus penitentiae agendis occupetur, idque cum vero et sincero doloris affectu: *Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminetentem a Deo penam, quam ut hæc penitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent. Sess. 14, cap. 8.*

Hanc Ecclesie mentem multoties indicant Summi Pontifices in suis indulgentiarum litteris, quibus eas impartiri se *vere penitentibus* aiunt: his verbis significantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi propositum deinceps non relabendi, et voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Cum lapsus ad hunc modum animo esse comparatus, et suis partibus sedulo defungitur, ut divinam justitiam placare queat, Ecclesia velut pia mater in auxilium accurrit, ut indulgentiæ beneficio quod restat debiti solvat: vel plene, si plena est; vel in tantum quantum illa confert. Hinc usu venit ut plena indulgentia non omnibus qui, exuto peccandi affectu, præscriptas condiciones adamussim præstiterunt, ex asse cedat in plenam solutionem; quia non omnium eadem est debitorum ratio, neque eodem omnes studio pro viribus egerunt ut ea diminuerentur: quarum rerum beneficii dispensator semper rationem habere censendus est. Ita docet sanctus Bonaventura: « Indulgentiæ, inquit, quantum est ex potestate dantis, tantum valent quantum promittunt. Non tamen cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus; sed secundum existimationem ejus quam habuit vel habere debuit qui indulgentiam fecit, quam non oportuit exprimere; quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quod dona et miserationes S. Spiritus donentur cum æquo libramine ». In 4 sentent. dist. 20, quæst. 6, sub finem.

Idem colligitur ex constitutionibus quibusdam Summorum Pontificum, ubi expresse pronuntiant hanc sibi esse intentionem. Liqueat ex decreto Bonifacii VIII, quod incipit *Antiquorum*, Extrav. de penit. et remission., ubi promulgando indulgentiam jubilæi universalis, *Unusquisque tamen plus merebitur, ait, et indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit*. Et in statuto Innocentii IV, edito in primo concilio Lugdunensi, quo plenam concedit indulgentiam iis qui sumptus conferrent in bellum sacrum, atque unumquemque lucrifacurum *juxta quantitatem subsidii, et devotionis affectum*. His autem satis indicant plenæ indulgentiæ quemque fieri participem, tum secundum modum operum penitentiae quæ fecerit, tum secundum piæ devotionis fervorem: atque ea ratione immuni debiti satisfactionis.

Cardinalis Baronius, vir sane magnus, et qui Ecclesie de indulgentiis sententiam apprime noverat, postquam indulgentiam a Gregorio VII concessam episcopo Lincol-